

Wf
738



f. 67, 6



h. 67, 6



PROGRAMMA

QVO

PATRIAE PATRIBVS, MAECENATIBVS,
PATRONIS, FAVORIBVS, COLLEGIS, A-
MICIS, CIVIBVS, DISCIPVLIS,

STRENAS IANVARIAS

DISTRIBVIT,

ET AD AVDIENDAS

QVINQVE POSTERIORVM VIRGILII
ECLOGARVM PARODIAS,

MEMORIAE

SERENISSIMI PRINCIPIS

FRIDERICI

VVILHELMI II

DVCIS SAXONIAE, JULIAE,
CLIVIAE, AC MONTIUM

CONSECRATAS

INSPECTORES SCHOLAE, AC CETEROS
BENE VOLENTES SCHOLAE

INVITAT

CASPAR SAGITTARIVS, LVNEBURGENSIS,
RECTOR SCHOLAE Salfeldensis.

ALTENBURGI, TYPIS GOTHOFREDI RICHTERI, ANNO M. DC. LXX.

377



PRORAMMA

OVO

PATRIBUS PATRIBUS MAECENATIENSIBUS
PATRONIS PATRONIBUS COLLEGIS A-
MIS CIVIBUS DISCIPLINIS

STRENAS JANUARIAS

DISTRIBUI

ET AD AUDIENDAS

QUINQUE POSTERIORVM VIRGILII

ECLOGARVM PARODIAS

MEMORIAS

PER BANNSUM PRINCIPES

FRIDRICH
VILLH
DVCIS SAXONIAE
CLIVIAE AC MONTENAPOLITANAE
CONSECRATAE



INSTRUMENTIS SCHOLAE
PUBLICE VOLENTES SCHOLAE
INVITAT

CASPAR SAGITTARIUS, LUNEBURGENSIS
RECTOR SCHOLAE SALFELDENSIS

ALTENBURG Typis Gothofredi Richteris Anno MDCCLXX

277





IN NOMINE JESV.



Tque adeo per di-
vinam DEI Omnipoten-
tis gratiam, veterem an-
num eluctati, novumque,
qui a nato mundi Serva-
tore, sexcentessimus se-
ptuagesimus supra millesimum, juxta vul-
garem Dionysii Exigui æram habetur, felici-
ter auspicati sumus. Antiquissimum proin-
de morem fuisse nemo nescit, Kalendas cir-
ca Januarias certa quædam dona distribuere,
quæ Romani *strenas* appellarunt; quod ea
ob virtutem convenire censuerunt viris stre-
nuis. Insignis de re ea locus est in Symma-
chi epistolis, quem non pigrabor adscribere:
*Ab exortu pæne Urbis Martia strenarum u-
sus adolevit, auctoritate Tatii Regis, qui
verbenas felicis arboris ex luco strenie anni*

novi auspices primus accepit. Nomen indicio est, viris strenuis hæc convenire ob virtutem. Possem de his donis multa, nec in vulgus protrita commentari, nisi agenda nobis essent alia, nec jam tum in inclytis Salana, Rostochiensi, Witteberg. Academiis id factitatum esse novissem; nec haberemus insuper illustri Viri Theodori Marcilii, Regii Eloqv. Parisiis Profes. *de strena Kl. Jan. danda*, elegantes orationes duas, Lutetiæ superiori seculo exeunte editas, pluraq; ejus generis scripta alia. Hunc autem antiquum morem equidem libenter observare, aureaq; & argentea munera dispertirer, si copiis atq; opibus affluerem. Ne tamen plane indotatos abire sinam meos, solemnia iisdem vota offeram: quippe quæ antiquorum strenis conjuncta fuisse vel iste Nasonis versus indicat:

*At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis,
Et damus alternas accipimusque preces.*

Ceterum, quia superiori anno publicarum lectionum initium a Germanica oratione feci, qua in libros in Scriptura Sacra memoratos, sive deperditi illi sint, sive quo alio nomine veniant Theologis, passim cum voto distribui; hoc autem anno non ita pridem inchoato quædam ad rem scriptoriã pertinentia in S. Literarum

❖(5)❖

rarū Pandectis proposita Patriæ Patribus, Mæ-
cenatibus, Patronis, Fautorib⁹, Collegis, Ami-
cis, Civibus, Discipulis strenarū instar exhibui;
eundem sermonem habitu latino indutū hoc
Programmate luci publicæ exponam; nullus
dubitans, quin qualem cunq; meam volunta-
tem omnes & singuli aliquo loco habituri sint.

Nullam mercatores exarant epistolā, nullas
conscribunt rationes, nullam conficiunt a-
pocham, in quorum fronte non appareat so-
lemne illud anteloquiū: LAUS DEO: cum tamē
magna pars illorum, quid scribat eo, vix intel-
ligat; multo etiam plures, non tam laudando
Deo, quam opibus undiquaq; corradendis u-
nice intēti sint. Turpe profecto nobis esset, nisi
nos, qui omne nostrum studiū Deo Opt. Max.
consecramus [certe consecrare debemus] ab
hoc perenni omnis bonitatis fonte agendi,
scribendiq; primordia caperemus; nec eidem
devota nostra vota dedicando, quantas men-
te concipere valemus laudes, ore, manu, pe-
ctore exsolveremus. Sed qualem tibi strenam
dedicem, O benignissime Deus? Pater, Pater
indulgentissime! Quid quæso donem tibi, quo
tu non prius nos beaveris? Obsecro te, meum,
Collegarum, & discipulorum meorum corda
suscipe, eademque purpureo unigeniti Filii tui

sanguine inscribe: ut, sicut Corinthii a Do-
ctore Gentium edocti; sic & nos epistola si-
mus & vocemur Christi tui: cujus inscriptio-
nem nec ignea Diaboli tela, nec procellofi
tentationum fluctus, nec rabidi conscientiae
morsus unquam extinguant. Præpara tu
ipse per sanctum tuum Spiritum consecratum
tibi pectoris nostri epistolium, & magis indi-
es magisque emollitum redde: sicque his in
terris solenne nostrum, DEO SOLI GLO-
RIA! balbutienti quidem lingua; sed in cœ-
lesti laudum tuarum theatro pleno demum
ore sine fine decantabimus.

At enim, quid vobis donem, Dii majo-
rum in orbe nostro gentium? vobis inquam
SERENISSIMI, POTENTISSIMIQUE JU-
VENIS NOSTRI PRINCIPIS TUTORES?
Quæ magnis Viris ab inferioris subsellii ho-
minibus dicantur dona, cedro utique digna
oportet esse; ut scilicet, quod deest precio, ju-
cunda compenset muneris memoria. Rem,
ceum equidem existimo, memorabilem dedi-
cabo vobis, Principes ad immortalitatem
memoriae gloriosi: *altissimam rupem*, hoc
inscriptam elogio:

SERE-

(7)

SERENISSIMVS. POTENTISSIMVSQVE
ELECTOR. SAXONIAE

BVRGI. MAGDEBURGENSIS. COMES

JOHANNES. GEORGIUS. II.

SERENISSIMVS. REVERENDISSIMVSQVE

EPISCOPATVS NVMBURGENSIS ADMINI-

STRATOR POSTVLATVS

BALIVIAE. THVRINGIAE. PRAE FECTVS

MAVRITIVS.

DVCES. SAXONIAE. IVLIAE. CLIVIAE.

AC MONTANIAE. COMITES. PROVINCIA-

LES THVRINGIAE. COMITES LIMITANEI.

MISNIAE. ET. SVPERIORIS. AC INFERIORIS

LVSATIAE. PRINCIPALI. DIGNITATE. CO-

MITES. HENNEBERG. COMITES. MAR-

CAE. ET. RAVENSBERGI. DOMINI.

IN. RAVENSTEIN.

DI. TVT ELARES. ALTENBURGICI

ANNENT. PERENNENT.

FELICITER.

Non

Non aureas, non argenteas, non æreas,
 non orichalceas, non roboreas huic inscri-
 ptioni assigno tabulas; non tabellis illam cre-
 do ceratis, aut elephantinis; non carbafina,
 non serica eidem deponco volumina; non
 pellibus imprimo draconum, aliorumque a-
 nimantium; non textilibus malvarum, aut
 palmarum trado foliis; non commendo
 chartæ fugitivæ; etiamsi Augustæ, Liviæ,
 Claudiæ, Fannianæ, Cornelianæ, Amphithe-
 atricæ, sive alio pompali nomine veniat; sive
 ex ipsa papyro nobili Ægypto petita sit: sed
 rupi, rupi inscriptam volo, *summa pulsanti
 sidera vertice*: tum, ut a plurimis civibus,
 & advenis hospitibus legatur; tum ut per
 longius ævi spatium perduret. Et sane, ne quis
 novum esse putet rupibus incidi literas, cogi-
 tet Jobum sive Jobabum, antiquissimum terræ
 Idumææ Regem [ita cum Philone, Augusti-
 no, Hieronymo, Ambrosio, magna que re-
 centium Doctorum manu statuo] exoptare,
 ut responsa sua in sanctæ memoriæ perpetui-
 tatem excelsæ rupi incidantur. Nam de præ-
 grandibus Gothorum saxis [horum partem
 ante aliquot annos Hafniæ me videre memi-
 ni] quorum inscriptiones, præstanti vir do-
 ctrina,

(9)

etrina, & incomparabilis Antiquitatum Septemtrionalium vindex, Olaus Wormius nobis dedit, pluresque expectamus a Laurentio Bureo, Holmiæ Archivi Svecici Secretario, nunc nihil attinet dicere.

Sed & Tibi SERENISSIME JUVVENTVTIS PRINCEPS, Inscriptionem dabo, dicabo, dedicabo. Illam nimirum, quam S. Johannis Baptistæ Pater Zacharias $\pi\upsilon\alpha\chi\iota\delta\iota\omega$ inscripsit. Accipe igitur O OPTIME PRINCEPS! ipsam formulam.

SERENISSIMVS. PRINCEPS. JUVVENIS
FRIDERICVS. WILHELMVS
III. DVX SAXONIAE. JULIAE. CLIVIAE. ET. MONTIVM. COMES. PROVIN-
CIALIS. THVRINGIAE. COMES LIMITA-
NEVS. MISNIAE. PRINCIPALI. DIGNA-
TIONE. COMES. HENNEBERGENSIS. CO-
MES. MARCAE ET RAVENSBERGI.
DOMINVS. IN. RAVEN-
STEIN
PATER NARVM. NON. MINVS. VIRTVTVM
QVAM. NOMINIS. DIGNITATIS QVE
PATRIAE. HERES. ET. SVCCESOR
VOCABITVR. JOHANNES

B

Con-

Constat inter Hebrææ literaturæ gnaros, JOHANNIS nomine *hominem* indigitari *gratiosum*, commodeque alia voce GRATIANUM, vel, si Germanicum mavis, *BRACH* / five *BRONCH* / reddi posse. Certe posterius sibi persuasit magnus Ecclesiæ nostræ Theologus JOHANNES BRENTIUS: qui ejectus in exilium, & postmodum ope Ducis Würtembergici in arcem Homburgum translatus, mutato nomine *Huldreich Engster* se appellavit. *Hebræo*, quæ verba sunt Melchioris Adami, libro de Vitis Theologorum Germaniæ, æquivalens Germanicum excogitans, & cognomini Græcum aptans *εγχαυτης* leviter deflexa voce, ut Germanicum sonaret. Sis igitur, O OPTIME ET OLIM MAXIME PRINCEPS! DEO, CAESARI, ELECTORIBVS, DVCIBVS, NOBILIBVS, POPVLO, GRATIOSVS! VIVAS, VIGEAS, VALEAS, FLOREAS, APVD SVMMOS, MEDIOXIMOS, INFIMOS, GRATIA! INSISTAS VESTIGIIS AVITIS

JOHANNIS CONSTANTIS,
 JOHANNIS FRIDERICI I. MAGNANIMI.
 JOHANNIS WILHELMI I.
 JOHANNIS GEORGII I. MAGNANIMI,
 FORTIS, ET CONSTANTIS, DEVS

(II)

DEVS NOBIS DEDIT TE. DEVS TE SERVET.
DE NOSTRIS ANNIS TIBI AVGEANTVR
ANNI.

SERVS IN COELVM REDEAS, DIVOQUE
LAETVS INTER SIS POPVLO MISENO,
GRATIOSVS SIS PATER, ATQVE PRIN-
CEPS,

OPTIME PRINCEPS.

Vnicæ vnici Principis Sorori SERENISS.
JOHANNAE MAGDALENÆ ex
animo voveo, ut divina clementia eandem
instar *annuli signatorii*, quo promisso ex
mandato Dei Zorobabelum mactat Haggæ-
us Propheta, amare, fovere, complecti usque-
quaque velit. Et quoniam hic annulus in me-
moriam mihi revocat *pronubum* antiquo-
rum *annulum*, nihil magis mihi est in votis,
quam ut supremus conjugii auctor, nuptia-
lem SERENISS. PRINCIPIS pactionem felici, au-
gustoque complemento consummari jubeat.

Verum, quia eundem *annulum*, quem
memoravi, *signatorium*, in summo precio
habere, religiose adservare & custodire so-
lemus, Tibi itidem O SERENISSIMA PRINCEPS VI-
DVA ISENACENSIS, vere cœlitus data
DOROTHEA, pro ea, qua debeo, humilita-
te ex-

B 2

te ex-

te exopto, ut nec minus TE, quam TUAM PRINCIPEM [quidni Tuam vocem, quæ ex Fratrem tuo genita, & inquam affectu Mater es?] maximus tuarum rerum moderator Deus signatorii instar annuli habeat, summa cura tueatur, & potissimum inter senectæ molestias sollicitè conservet.

Venio ad vos, Magnifice Domine Cancellarie, ceterique generis nobilitate, doctrinæ præstantia, rerumque usu conspicui Senatores in civili Consilio, nomine tutorio Consilarii; vobisque loco strenæ *Graphiarium* illud offero, quo succinctum fuisse illum Angelum in visionibus Ezechielis legimus, cui divina majestas in mandatis dedit, ut certo quodam signaculo [cruciforme id fuisse, Origenes, eundemque secutus Hieronymus statuit] frontem eorum hominum notaret, qui piis suspiriis ob peccata populi, & calamitates publicas ingemiscerent. Nolite putare Viri magnifica auctoritate præditi, ac si majores exoptem vobis labores, certasque laborum variorum pedissequas, molestias. Absit id a me longissime. Non enim ignoro, quot quantisque sitis obstricti occupationibus, ut sæpius respirare vobis libere non liceat: sed

✽(13)✽

sed illud religiosa animi mei hocipso pre-
 catur observantia; ut, ceu hacten⁹ summa cū
 laude, summa cum omnium admiratione so-
 liti estis facere, populi vestri salutem commē-
 datam vobis habeatis, atq; eos in primis a ma-
 leferiatorum insultib⁹ defendatis, qui non pri-
 vatam quærunt utilitatem, sed publicum an-
 xie anhelant & suspirant commodum. Atq;
 quia vota & suspiria vestrorum civium tam
 promte admittitis, eosdemq; in necessitatibus
 tam molli vultu adspicitis, dubium relinqui-
 tur mihi nullum, quin æterni Dei Filius æter-
 nus, quem Angeli persona tectum Prophetæ
 apparuisse non contemnendi Doctores asse-
 runt, vestra desideria exaudiat, spei vestræ sa-
 tisfaciat. Ita obsignet vos Deus, sicuti jam tum
 vos obsignavit signo suæ gratiæ! statuatur vos
 Deus, sicuti jam tum vos statuit, instar vexilli,
 in sublimi loco; ut admirētur hostes vestri, &
 si qui superant invidi rumpantur præ invidia!

Atramentum in sacro codice memora-
 ri certum est, locique Prophetæ Jeremiæ, Pau-
 li, & Johannis Apostolorum liquido demon-
 strant. Sed cui potius donem felicem sua
 nigredine succum, quam illis, qui in nostri
 Lycei salutem, Præceptorumque Scholæ
 commodum, toties eodem suum imbuerunt

B3

cala-



calamum. Accipe igitur Generose sacri Con-
 filii Altenburgensis Præses, Johannes Dideri-
 ce a Schomberg, Patrone studiorum meo-
 rum maxime: accipite gravissimi Adseffores
 ceteri, & hos inter maxime venerabilis sacro-
 rum Antistes, Johannes Christfried Sagittari,
 cognatione paterna Patruelis, sed incredibili
 in me amore Pater: accipite, inquam, hoc
 quicquid est donationis hieroglyphicæ, cer-
 tissimeq; Vobis persuadete, metot faustos re-
 rum successus Vobis apprecari, quot literas
 vestra unquam pinxit sepiam, quotque nigræ
 loliginis succo in posterum exarabitis. Et
 quoniam nostræ Scholæ ergo jam tot mole-
 stias a pluribus retro annis subiistis, tot Her-
 culeos labores exantlastis, obsecro Vos atque
 obtestor, nolite concedere, ut, tum alia ædifi-
 cia Scholastica, tum templum Scholæ conti-
 guum extremam ruinam minitetur.

Quid autem vobis largiar, O matronæ
 genere nobiles, pietate in Deum, munificen-
 tia in egenos, & præcipue pauperes Scholæ
 Alumnos, & reliquarum virtutum splendore
 illustres? Vobis, inquam, O nobiles viduæ
 LENGEFELDIA, & HOFERIA! Vobis etiam, qui
 in hac, virtute & profapia nobili familia, no-
 bili

(15)

bili loco Nati Natæque vivitis. Non melius, nec preciosius donum reperire potui, quam nobilissimam omnium, quæ unquam ab inventione Scriptionis in mundo existierunt, inscriptionem. Eam scilicet, quæ tabellæ ceruffatæ inscripta, supra verticem Salvatoris in cruce pendentis apparebat:

**JESVS. NAZARENVS. REX.
IUDAEORVM.**

Scio vos unice diligere JESVM, unicam Vestram salutem. Constat inter omnes, Nazarenum, felicissimum illud germen radicis Jessææ florere in cordibus vestris. Regnat Regum Opt. Max. in omnibus vestris actionibus. Iudæorum, Christianorumque vera beatitas vestrum est delictum. Quidni ergo vobis eam dicem scriptionem, quæ salutis, amoris, perennaturæ voluptatis vestræ caput atque summa est? ita salus vestri IESULI vos cingat! Salutifera CHRISTI unctio vos beet! Regat vos Rex Gloriæ! Defendat vos Leo de tribu Iuda! Vive exemplum sine exemplo fororii amoris; aliisque porro incomparabile exemplar esto, quam bonum, quamque sit jucundum, si sorores vivant concorder, vivant unanimiter. In

In Venerabilem sacrorum nostrorum Ephorum, Ludovicum Braunium; in Reverendos Viros, Davidem Heumannum, Archidiaconum, & Johannem Christianum Schlegelium, Diaconum, Viros multis nominibus laudandos, sed sua virtute sic satis laudatos, Fautores mihi & Amicos certos, admodum injurius essem, nisi hoc tempore felicissima ipsis tempora voverem: cum praesertim exquisitis verbis, affectuque prolixo faustos rerum omnium successus Scholæ, & Præceptoribus Scholasticis ab ambone sacro fuerint precati. Quamobrem *ut illorum lingua Optimi Scriptoris & Doctoris, Sacrosancti Flamini graphium* non per hunc tantum, quem coepimus, sed per plures, qui sequentur, annos indefinenter fiet, ea qua possum, ea qua debeo mentis religione voveo. Et si quid præterea tam ad hanc temporariam, quam ad æternam, vereque vitalem vitam, ipsis, eorumque uxoribus, liberis, cognatis opus, aut necesse est, id omne iis largiatur inexhausta Dei clementis bonitas. Mutua Ecclesiæ Scholæque Doctorum consensio magno cum publicæ rei emolumento est conjuncta. Eandem ut vestris, eandem ut nostris animis porro

✠(17)✠

porro inscribat, & infigat divinum illud graphium, animitus precor.

Præfecturæ Ducalis Administris, quos inter Vir antiquæ virtutis & fidei, mihi que Fautor singularis, Andreas Launius, quem honoris causa nomino, suo eminent merito; Coss. hujus civitatis; Consulto juris Syndico; felicibus in arte sua Medicis; omnibusque & singulis Senatoribus confractas primum, mox nove a Mose factas utriusque legis tabulas dedico. Non perfringenda, proculcandaque divina humanaque jura censeo. Deus bone, quantæ id impietatis esset! Eximia pietas, singularis probitas, summa abstinentia, qua laudati Viri, Deo, quantum per hæc humana licet, Serenissimo, dum viveret, Principi, & nunc Serenissimis Tutoribus, & qui eorum nomine sunt cum imperio, sedulo se probarunt, & exhibitæ divinitus utriusque tabulæ custodes sese ostenderunt; magnam hoc civibus & agrestibus spem facit, fore, ut easdem plurimasque virtutes alias, in publicam salutem constanter rebus gerendis adhibitori sint. Atque ut id faciant, sanctamque cum Ecclesiæ Ministris, Scholæ nostræ curam gerant, justoque

C

in

in eos stomacho & iracundia, ad exemplum præstantissimi legumlatoris exardeant, qui, five clanculum, five palam male volunt rei Scholafticæ, aut alias intertrimentum affricare volunt bonis legibus. Nam, etfi alias irafci illis, quæ noſtram iram nec meruerunt, multo minus ſentiunt, non leve argumentum fit ſtultitiæ: longe tamen aliter de Moſis factò judicandum eſt, quem profecto non contemptus Dei, ſed ſanctus adverſus idololatriam Judæorum zelus ad projiciendas confringendasque decem legum tabulas adegit.

Oſtendebat nimirum hoc indicio, indignū eſſe populum tanto Dei beneficio, & fruſtra ſe ad impiorum colluviem tam ſalutares ſanctiones affere. Fabulæ ſunt, quæ Rabbinide precioſis, ex quibus priores tabulæ fabricatæ fuerint, gemmis, nugantur. Gerris ſunt ſimillima, quæ de divitiis Moſis, ex fragminibus tabularum natis, afferunt. Ne tamen Noſtri ſine fructu curam gerant Reipubl. faxit Deus, ut, ſiquidem id ex illorum uſu fore intelligat, omnium rerum affluentibus ditentur copiis; potiffimum autem perennaturas, nullisque furtis, rapinis, alluvionibus, aliisque calamitatibus obnoxias comparent divitias.

Nunc

Nunc autem ad Vos, O optimi, & amantissimi Collegæ mei, mea se convertit oratio. Vestra in me fides, meus in vos amor flagitat, ut memorandam, & vobis, & meipso dignam e re scriptoria strenam adferam in medium. Digitos ad scriptionem requiri, nemo nescit. Licet enim ante hoc triennium Magdeburgi Britannum vidi hominem, qui brachiis a partu destitutus, calamum ore dirigebat non incommode; & Philippus Camerarius *in Horis subcisis* puellam quandam memoret, qui pedibus [habent tamen & hi suos digitos] congruenter scribere potuerit; res tamen adeo rara, adeo est insolens, ut præ altera, quæ manibus absolvitur, monstrosa plane videatur scriptio. Ne quid igitur instituto nostro, ne quid vobis, vestrisque, meis etiam curis & laboribus desiit, ipsius Dei, Opt. Max. Scholarum Patroni consecrabo vobis digitum. Nequaquam vos latebit, sanctissimum Dei Patris, Filiique Spiritum ab ipso Dei Filio hoc appellari nomine. Vester, meusque labor nullus est, nulla sollicitudo atque diligentia nostra, nisi plantationi ac irrigationi nostræ suam adspiret *εὐλογία* sancta æterni Flaminis benignitas. Non nos

profecto sumus, qui omnem operam in for-
 mandis bonæ juventutis doctrina & moribus
 infumimus. Ille, ille est, qui habitat in no-
 bis, nostraque pectora ad omne opus bonum
 præparat. Ille sacrosanctus Dei Spiritus, Il-
 le *τρισάγιος* in æternum laudandus a nobis
 Deus, porro Vos, meque ipsum regat ac gu-
 bernet digito suo salutifero, ut opera nostra-
 rum manuum, ad divinam gloriam, & ma-
 ximam discipulorum utilitatem vergant. Do-
 ceantur vestri, mei doceantur digiti, admi-
 nistrare bella Domini; ut fortiter contra ma-
 litiam, & negligentiam juventæ, contra
 summam ingrati mundi *ἀχαρισίαν*, contra alias
 innumeras Scholasticis laboribus conjunctas
 præliemur molestias, & unam ex altera vi-
 ctoriam summa cum laude reportemus. Sub
 hac potenti Omnipotentis manu si fueritis,
 nullus malevolorum vos attinget digitus, nec
 nulla avis digitata in vestra involabit capita.
 Et, quod olim exorcistæ in Ægypto, hoc fa-
 tebuntur nostri adversarii: *Qui Salfeldensis
 Scholæ Præceptores observat, vere est divinus
 digitus.* Sæpissime miratus sum, Collegæ
 conjunctissimi, cur, cum alii in publicis mu-
 neri-

neribus constituti, cujuscunque sint loci & conditionis, mediocri rerum utantur fortuna, mediocrem etiam, multi etiam summum splendorem ex muneris functione habeant; in solos Præceptores Scholarum, quas vocamus, trivialium adeo conspirent plerique, ut nec debitum honorem, nec debita tantis laboribus præmia impetrent; sed in summo contra contemtu, moerore & squalore vitam cogantur traducere. Majorem vero, nec graviolem hæctenus investigare potui causam, quam, quod infensissimi Scholarum hostis, Satanæ digitus eo sit intentus studiosissime, ut ii, a quibus post Deum Rerum publicarum salus fluit [cæcus est, qui non intelligit, a recta liberorum educatione maximum publicæ privatæque rei commodum pendere] boni scilicet Ludimagistri, per tot adversa, in officio faciendo languidi reddantur, & impatientes. Nullum in vobis deprehendi langvorem, nullamque animi impatientiam cognovi: certissimeque mihi persuadeo, divinum esse digitum, qui vos in tantis ærumnis tantaque paupertate luculenter conservavit. Is porro vos

fervet nobili miseriis Scholæ! fervet mihi,
 fervet discipulis! quorum pars post multo-
 rum annorum decursum, imo post fata no-
 stra magnam nobis habebit gratiam. Quem
 me superiori habuistis anno, eundem per san-
 cti Spiritus clementiam per hunc, & si volu-
 erit Deus, per eos, qui sequentur, annos habe-
 bitis: geminumque amorem, & candorem
 animi a vobis expecto, & tantum non in-
 dubitanter mihi polliceor.

Magnus in Collegas amor me longio-
 rem esse jussit: brevior ero in hujus civitatis
 civibus: non tam, quod pauci sint, qui hæc
 intelligant latina; sed quod ad multitudinem
 hominum brevi oratione fit utendum, ut
 menti imprimatur altius. Membranas au-
 tem vobis dedicabo, Cives, quorum magnū
 divinæ veritatis præconem, divum Paulum,
 in altera ad Timotheum epistola recordor
 meminisse; quasque Pergamenas, a Perga-
 mo, nobili Asiæ urbe, unde adferebantur o-
 ptimæ, B. Ecclesiæ nostræ coryphæus nomi-
 navit, & nos a multis retro seculis ita appella-
 mus. Eæ chartæ, quo ceteris sunt durabiles
 magis, quoque scriptio in iis exarari solita, ad
 longius perdurat ævi spacium: eo diuturnior
 vestra

❖(23)❖

vestra sit felicitas; quam vobis post tot calamitates voveo! Durissimam a famosis istis stativis provinciam per multos annos habuistis: duriores fecit repetitus grandinis impetus: durissimam PATRIAE PATRIS abitus. O utinam sub hoc tutorio regimine serenior vobis contingat tempestas! O utinam sub JUVENE vestro PRINCIPE, cui felicia quævis quotidie debetis apprecari, placidum stata quiete portum post tot miserias inveniatis!

Tempus est, ut ad vos me vertam o discipuli mei, vita mihi ipsa cariores. Meus in vos amor tantus est, ut non nisi exquisitam, & numeris omnibus absolutam vobis exhibere optem strenam. Credite mihi, voluntas bene de vobis vestrisque studiis merendi tanta est, quanta boni Patris in liberos esse potest. Qui putant, affectum paternum me assequi non posse, quod cælebs, cui lito, vita improlem me esse jubeat, non parum meo iudicio errare videntur. Nam si per mirificam Flaminis Sacrosancti gratiam quadamtenus intelligo, quantus Dei Patris, quamque incredibilis in humanum genus, atque adeo in me homuncionem sit affectus, ut unico unice dilecto Filio non pepercerit; sed eundem in
mei

mei gratiam exquisitissimis cruciatibus, mortique adeo ipsi exposuerit; nihil causæ superesse credo, cur non capiam mortalium Parentum in liberos studium: quod infinitis modis est inferius, totque impuritatibus, tot animi imbecillitatibus plerumque est obnoxium. Memini aliquando a me exceptam & notatam esse istam vocem: *Si quis Pater, quod tamen sine jactantia dixerim, liberos suos ita amat, ac ego per divinum adjumentum creditos fidei meæ discipulos, magis eosdem diligere non poterit.* Non reformidabo hoc dictum magna voce, occasione sic ferente, iterum atque iterum repetere, & certus sum a regia veritatis via in eo necquidquam me deflectere. Enimvero, quia pro meorum animabus in tremendo illo, sed lætabili mihi die accuratam reddere rationem necessum habeo; væ mihi, væ miseræ meæ animæ, nisi eos, quorum salus a Deo atque Magistratu magnam partem mihi commissa est, ex toto pectore diligerem: Sed hæc quia alterius sunt temporis & loci, hoc agam, & o medullitus dilecti mei discipuli! *pennam*, nobilissimum, excellentissimumque scriptoris instrumentum, vobis, vestrisque consecrabo V fibus.

Nec

Nec elegantius, nec utilius, nec splendidius ex instrumentis scriptoriis munus reperire potui, quam volatilium calamos, quibus hodie universus orbis ad scribendum utitur. Quod Sineses pennarum loco usurpent penicillum, non miror; quando mecum cogito, hanc oculatam gentem, præ reliquis nationibus, talpa, si Dis placet, cœcioribus, sibi fortassis soli sapere. Tanta est pennarum elegantia, tantus splendor, ut ii ipsi, qui eruditos per contemptum *homines de penna* vocare solent, iisdem galearum cristas, & turbinatos galeros exornent; eoque ipso pennigeræ doctorum virorum cohortis prærogativam demonstrant. Sicuti scriptionis usus infinitus est, ita etiam pennæ scriptoriæ utilitas nunquam satis explicari, satis nunquam deprædicari poterit. Per pennas Imperatores imperant; pennarum beneficio Reges regimen conservant suum: pennarum auxilio Principes terras omni ditione tenent: sine pennis nulla est nobilium, quicquid etiam moliantur, nobilitas. O quoties ad supremum amplissimæ dignitatis fastigium pervenerunt ii, qui licet inferiori loco nati dextre hoc instrumento usi sunt.

Dignitas Quæ

Quæ causa B. Lutherum movit procul du-
 bio, quod cum in Deboræ & Barachi epini-
 cio e Zabulonitis descendisse dicantur *scribæ*
trahentes in stylo, s. virga, vel sceptro, pen-
 næ scriptoriæ diserte meminisse voluerit.
 Quamobrem, quia est meridiana luce clari-
 us, pennas secum tantas ferre utilitates, & ad
 tantam excellentiam cultores suos provehe-
 re; discipuli mei per Dei atque hominum fi-
 dem religiose observate strenam meam. Sit
 vobis in delitiis jure pennarum exercitium:
 quotidie intenti estote scriptioni; & nunc ex
 Attica aliquid in Latium, nunc e Latio in
 Græciam vel Germaniam, ex Germanis ad
 Romanostransferte. Nullum tempus, oc-
 casionem nullam prætermittite, qua in non
 vertatis vestrum stylum, eundemque magis
 magisque politioem, & ad naturam aureæ
 linguæ Latinæ ætatis reddatis accedentem.
 Aureum est illustris Bœcleri monitum: *inter*
præcipua studii intertrimenta merito nume-
ramus communem illum, & longe lateq; diffu-
sum scriptionis neglectum; dum plerique cre-
dunt, se auscultando, legendo aut meditando
posse attingere eum finem, qui hic spectatur.
At verores longe aliter se habet. Quippe nisi
assi-

❖(27)❖

assidua scriptione eliciantur profectus memo-
ria & iudicii, nihil agas, quantumvis de ce-
tero sat agas. Verum quia sine Dei ope irri-
 tus est omnis in studiis, totaque vita conatus
 vester, illam in omnibus vestris actionibus,
 omnibusque adeo scruptionibus implorate;
 probe considerantes, dimidium jam vos ha-
 bere facti, si precibus illud aggressi fueritis
 ardentissimis. Quam haecenus in me de-
 prehendistis fidem, eam sancte porro serva-
 bo vobis, nullique parcam operæ, ut Deo
 clementer adjuvante, vos in pietate, bonis
 moribus, variaque doctrina confirmem. Co-
 gnoscitis mentem meam. Si vos per men-
 sem ad amplissimam eruditionem traducere
 possem, non annum in illo labore consume-
 rem. Avaritia & invidia maximæ Schola-
 rum pestes sunt. His vitiis uti infensus fui sem-
 per, ita quoque in posterum Deo feliciter an-
 nuente cane, pejus atque angue fugiam. Ut
 summatim dicam omnia: Equidem quod
 meum erit faciam; vos vestrum facite offi-
 cium, & gratiam si referre non potestis, fal-
 tim grato habete mihi animo: id quod au-
 ro argentoque longem mihi erit carius. Illud
 autem omnium erit carissimum, dulcissimū,
 D2 jucun-

jucundissimum, quando vos omnes & singulos penna vestra eum in finem usos esse intellexero, ut mecum digni judicemini, qui per CHRISTI meritum cœlestem intretis Academiam, Deumque in omnem æternitatem immensis celebretis laudibus.

Non puto dedita me opera eorum quidquam omisisse, quæ ad votivas strenas pertinent: me nunc ad alia accingam, si prius, meis, Collegarum Scholæque adversariis satisfecero. Si sine illis viveremus, indigni essemus boni Præceptoris nomine. Non dum videre mihi contigit fidelem juventutis Doctorem ab ingrati mundi odio & contentu immunem. Cur nos deposceremus nobis fata meliora? interea, si qui sunt, qui piis, legitimis, & ad Dei gloriam, & publicam salutem tendentibus conatibus obviam ire voluerint, malamque amplius pro benefactis referre nobis gratiam; iisdem exoptaverim, ut ex illorum consiliis, seu subdolis technis potius, egrediantur vituli, fusili ei non dissimiles, quem Aaron [modo hæc sit genuina hujus loci interpretatio] formavit suo graphio. Nimirum, dum aureos parturiunt

(29)

riunt montes, ridiculos Deus prodire faciat vitulos, qui omnium bonorum jocos & ludibria commercantur. Quod si autem a perversa sua destiterint malitia, precabor Deum, ut ex ipsis etiam sanctam conficiat epistolam, salutifero CHRISTI nostri $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omega$ obfignatam.

Quod reliquum est, quia Sacratae SERENISSIMI PRINCIPIS, FRIDERICI WILHELMII II. DUCIS SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, ET MONTIVM, memoriae, Parodias Eclogarum Principis Poetae Virgilii consecravi, & non ita pridem priorum V. argumenta publico Programmate proposui; ea quae restant, nunc in lucem dabo, discipulorumque ipsa carmina ex prompta memoria recitare volentium nomina subjungam; maximum in modum rogans, velint Domini Inspectores, ceterique eruditi in civitate Viri, ea, qua nuper id fecerunt, attentione & benivolentia nostros audire, eoque bonae juventuti ad majora calcare addere. De me non habeo multa polliceri: si quatenus de re ulla pro hoc beneficio Patronis, Fautoribus, Amicis gratifi-

D3

gratifi-

gratificari potero, faciam, ut meam fidem, amorem, voluntatemque cognoscant. Certum diem Recitationi dicere non potui: ne quid tamen in me desiderari patiar, faxo, ut per famulum meum justo indicetur tempore. Valete Viri Optimi, & si mereor, vel imposterum merebor me amate.

ARGUMENTUM

Eclogæ VI.

Hoc Poëmate ultima verba PATRIS PATRIÆ, ad Serenissimos liberos, FRIDERICUM WILHELMUM, & JOHANNAM MAGDALENAM, Serenissimumque Generum, JOHANNEM ADOLPHUM, Duces Saxonie, brevem vitæ suæ epitomam complexa, introducuntur.

Recitabit ea

BERNARDINUS ALEXANDER
A LENCEFELD, Nobilis Thuringus.

ARGUMENTUM

Eclogæ VII.

PAULUS MARTINUS, & CASPAR, SAGITTARIUM, Altenburgicæ, & Salfeldensis Scholarum Rectores, carmen canunt amœbæum,
lacru-

❖(31)❖

lacrumas propter abitum OPT. MAX. PATRIS
PATRIAE, & vota pro salute Serenissimi PRIN-
CIPIS JUVENIS, continens.

Cognati Rectoris personam sumet

CASPAR MULLERVS,

meam vero

JOHANNES FRIDERICVS HEYMAN-
NVS, Salfeldenses.

Prologus erit

ANDREAS KLEINART,

Lignicio-Silesius.

ARGUMENTVM

Eclogæ VIII.

Hæc Ecloga Serenissimi PATRIAE PATRIS
FRIDERICI WILHELMI, & Serenis-
simæ PATRIAE MATRIS, MAGDALENÆ
SIBYLLÆ veris laudibus absolvitur. Illas
Timo cantat; has Amphiaras.

Timonis carmen

ERHARDVS ANGERMANNVS,

Grossena-Thuringus,

Amphiarai

MARTINVS von REIN, Leitenberga Schvartz-
burgicus, decantabunt.

Præfamen prætexet

GEORGIUS HENRICVS WEISBARTH,

Salfeldensis.

ARGV-

ARGUMENTUM

Eclogæ IX.

Tyrigeta & Mysus Altenburgum contendentes de præmaturo Serenissimi PRINCIPIS abitu sermones cædunt. Et Mysus quidem memorabilia quædam Opt. DVCIS, paulo ante ultimum in Franconiam iter quam susciperet, dicta, ad Magnificum Cancellarium, Dominum JOHANNEM THOMAE, ut & ad Generosum Dominum JOHANNEM DIETERICVM A SCHOMBERG, in sanctiori Consilio Præsidem, dicta, exponit; tantorumq; Virorum responsa repetit.

Sub persona Mysi prodibit

ANDREAS RÖTHEL, Salfeldensis.

Sub Tyrigeta,

JOHANNES DAVID HEBENSTREIT,
Neostadiensis.

ARGUMENTUM

Eclogæ X.

Hac Ecloga, lacrumæ, planctus & suspiria exterorum, civiumque, præcipue autem Salfeldensium, ob nunquam satis laudandum, sed nunc proh dolor! amissum PATRIAE PATREM habitu Pœtico introducuntur.

Has lacrumas ob oculos ponet

JOHANNES NICOLAUS TRAVTMANN,
Reinsteto Thuringus.

Scribebam Salfeld I mense Januario,

Anno

CIC IC LXX.

de
nes
Opt.
am
Do-
ne-
M
em,
etit.

cro-
ob
a-
in-

IN,



Ms. 738 OK

M.C.



ULB Halle

3

004 973 348



U. 17





1.67,6

PR
PATRIAE PA
PATRONIS,
MIC
STRE
E
QUINQVE
ECL
SERE
FRI
VVI
DVCIS S
CLIVI
INSPECTOR
BENE
CASPAR SA
RECTOR
ALTENBURGI, T

TIBVS,
SIS, A-

AS

GILII

IS

CI

II

LIAE,
M

ETEROS

ENSIS,
S.

M. DC. LXX.



377

